2

# IOANNI LUDOVICO GUILIELMO BECKIO

VIRO ILLUSTRI

**DIEM XXII. MENS. SEPTEMBR. ANNI MDCCCLIX.**

QUO

ANTE L ANNOS

SUMMOS AB ORDINE IURE CONSULTORUM HONORES ACCEPIT

PIETATIS CAUSA

GRATULATUR

REINHOLDUS KLOTZ.

INSUNT EMENDATIONES CATULLIANAE.



LIPSIAE MDCCCLIX.

FORMIS DESCRIPSIT ET VENUMDAT A. EDELMANNUS

LIBRARIUS ACADEMICUS.

Quom superiore aestate, Vir illustris, mecum esses in villa Kleinzschocheriana, factum est, ut scholarum, quas illo tempore in Universitate litterarum Lipsiensi haberem, mentio incideret, quomque ego me dixissem Catulli carmina selecta quaedam illo ipso tempore iuvenibus harum rerum studiosis in scholis meis enarrare, ibi Tu, Vir amicissime, quo Tu amore quom optimas litteras, quas Tu a pueritia auctore patre clarissimo amplexus numquam desivisti colere, tum etiam meorum ipsius studiorum rationem semper dilexisti, quaesivisti ex me, quae potissimum Catulli carmina enarranda suscepissem quidve novi sive in explicatione sive in emendatione illorum carminum repperissem. Respondi Tibi tum hoc, quae ego in Catulli carminibus enarrandis repperisse mihi viderer, non graviora illa quidem esse aut praedicatione omnino digna videri, sed tamen eiusmodi, ut etiam post recentissimas hominum doctorum curas ad carmina illa rectius intellegenda aliquid conferre posse mihi viderentur. Cuius rei rationem quom Tibi, Vir clarissime, redderem, adventu communis amici nuntiato, qui his litteris eumdem honorem non haberet, illarum rerum oratio, ut Te meminisse credo, ita inter nos tum omissa est, ut me Tibi pollicerer alio tempore ea, quae tum agere coeperamus, expositurum esse. Id promissum hic dies, quo ante L annos summis honoribus ab ordine iure consultorum ornatus es, ut Tibi perficerem me admonuit, eoque magis nunc ipsum id faciendum putavi, quod quamvis hoc, quod adferrem, munusculum grave ac magnum non esset, tamen sperare posse mihi videbar, si esset cum huius diei gratulatione coniunctum, eo lubentiore animo Te id gratum acceptumque habiturum esse.

Quod autem illo tempore agere coeperamus, id fere erat huiusmodi. triplicem fuisse illam emendationem, qua ego menda nonnulla, quae etiam

*nobis, cum semel occidit brevis lux,*
*nox est perpetua una dormienda,*

quemadmodum etiam in nitidissimis atque emendatissimis exemplis, quae auctore M. Hauptio (Lipsiae apud S. Hirzelium a. MDCCCLIII) descripta esse dicuntur, scriptum est, verum potius sic:

*nobis cum semel occidit brevis lux,*
*nox est perpetua una dormienda.*

*nobis* enim pronomen non solum ad alteram enuntiationis partem pertinere, sed continuo ad priorem etiam adsumendum esse facile intellegitur. Paulo gravius est quod legitur in carm. XII. v. 1 sqq. volgo sic:

*Marrucine Asini, manu sinistra*
*non belle uteris in ioco atque vino:*
*tollis lintea neglegentiorum.*

Ita enim si verba interpuncta leguntur, illud ipsum crimen, quod intenditur in Asinium, infirmatur. Accusatoris est enim rem universam dicere nec eam ad certam quamdam rationem revocare. Debebat igitur Catullus primum crimen universum pronuntiare, deinde ad singulare factum descendere, isque sine dubio sic sua verba interpungi et recitari voluit:

*Marrucine Asini, manu sinistra*
*non belle uteris: in ioco atque vino*
*tollis lintea neglegentiorum,*

ut crimen furti primum universum diceretur, deinde hoc furtum ad certum quemdam statum revocaretur, quemadmodum Catullus etiam deinceps locutus est:

*quamvis sordida res et invenusta est,*
*non credis mihi? crede Polioni*
*fratri, qui tua furta vel talento*
*mutari velit* etc.

Dupliciter in interpunctione carm. XIIII. peccatum est, ac primum quidem in verbis his, quae leguntur v. 13 sqq.

*di magni, horribilem et sacrum libellum,*
*quem tu scilicet ad tuum Catullum*
*misti, continuo ut die periret,*
*Saturnalibus, optimo dierum!*

ubi verba *die Saturnalibus optimo dierum* aptissime inter se coniungenda erant et *Saturnalibus* a reliqua oratione commatis separari non debebat, eodem fere modo quo in Vergilii Georgicon lib. IIII. v. 168. dicitur:

*aut agmine facto*
*ignavum fucos pecus a praesepibus arcent,*

aut in Tibulli lib. II. el. 6. v. 15.:

*acer amor, fractas utinam tua tela sagittas,*
*si licet, extinctas adspiciamque faces!*

quibus in verbis ipse auctor huius interpunctionis interpunctione ulla verba quae aptissime cohaereant distinguere ausus non est. Deinde gravius etiam peccatum est in hoc Catulli carmine v. 21 sqq., si volgo haec ita scribuntur:

*vos hinc interea (valete) abite*
*illuc unde malum pedem attulistis,*
*saecli incommoda, pessimi poetae.*

Quid enim sibi volt haec parenthesis, in qua vox *valete* posita est? Potestne haec vox detrahi a reliqua oratione, quae, si non aptissime haec verba inter se coniunguntur, intellegi plane non potest? Sine dubio id quod praecedit *hinc* causa illius interpunctionis fuit: id vero ipsum debebat grammaticos admonere, ut *valete* aptius cum verbo *abite* coniungerent et haec coniuncta verba *valete abite*, quae, si rem recte iudicamus, paene unam notionem ignominiosae dimissionis efficiunt, cum voce *hinc* constructa esse pronuntiarent, non quod *hinc valete* per se recte diceretur, sed quod *hinc valete abite* recte se haberet, quia vox *valete* aptius cum verbo *abite* coniuncta similem significationem nanciscitur, ut illud ipsum verbum *abite*. Similem constructionem ipse Catullus habet carm. XI. v. 17 sq.:

*cum suis vivat valeatque moechis,*
*quos simul conplexa tenet trecentos,*

ubi verba *vivat valeatque* eodem modo consociata eam constructionem habent, quae per sese potius verbo *vivat* quam verbo *valeat* convenire videatur.

Etiam in carm. XXXII. v. 3 sqq. falsa interpunctio volgo habetur in verbis his:

*iube ad te veniam meridiatum.*
*et si iusseris illud, adiuvato,*
*nequis liminis obseret tabellam* etc.

quibus in verbis *illud* falso ad ea, quae praecedunt, verba adsumptum est, quod adsumendum erat ad ea, quae sequuntur. Quo enim verba: *et si iusseris*, pertineant facile apparet ex iis, quae ante erant dicta:

*iube ad te veniam meridiatum,*

illud efferendum erat, quod adiuvari voluit Catullus ab Ipsithilla, itaque sic interpungenda oratio est:

*iube ad te veniam meridiatum.*
*et si iusseris, illud adiuvato,*
*nequis liminis obseret tabellam* etc.

Quaerat forsitan quispiam, quamobrem ego tantum studii operaeque in levioribus his rebus reprehendendis posuerim, quae et ab illis ipsis, qui haec carmina lectitant, facile inveniri queant nec omnino ad uberiorem linguae cognitionem multum valere videantur. Si quis est, qui ita quaerat, ei primum hoc responderi potest, haec tamen tam facilia explicatu non videri, quod per tot saecula aut nondum sunt inventa aut, si inventa fuerunt, rursus obscurata sunt, deinde addi potest etiam illud, si cui in his ipsis locis interpunctionis emendatio non magno opere universae linguae rationem habuisse videatur, tamen esse alios locos, quibus in locis recta interpunctio non solum eos ipsos locos iuvet, verum etiam plus ponderis ad omne linguarum studium habere videatur: id quod luculento exemplo demonstrare posse mihi videor Catulli carm. CVII., ubi haec verba ita interpuncta fere volgo leguntur:

*Si quicquam cupido optantique obtigit umquam*
*insperanti, hoc est gratum animo proprie.*
*quare hoc est gratum nobisque est carius auro,*
*quod te restituis, Lesbia, mi cupido,*
*restituis cupido atque insperanti ipsa refers te*
*nobis. o lucem candidiore nota!*

Haec tamen verba ita, quemadmodum modo descripsi, interpuncta satis emendate scripta esse mihi non videntur. Eam enim constructionem habent, quae a consuetudine huius aetatis scriptorum plane videtur abhorrere. Nam antiqua illa *absente nobis, praesente amicis, praesente legatis, praesente testibus* et alia id genus multa nullo modo huc vocari possunt, quod ne ab antiquioribus quidem scriptoribus umquam sic haec dicta sunt nisi in illa formula usu et consuetudine loquendi recepta et Catulli aetate ea ipsa formula ita erat

obsoleta, ut hoc loco perverse videantur abuti isti, qui similem Tibulli locum, de quo paulo post dicturus sum, illo tueri loco volunt atque adeo, si dis placet, in arte hos locos pro exemplis ponere conantur. Quanto rectius totus hic locus constat, si sic interpungas:

*quare hoc est gratum nobisque est carius auro,*
*quod te restituis, Lesbia, mi cupido,*
*restituis cupido atque insperanti, ipsa refers te*
*nobis, o lucem candidiore nota!*

Etenim quod in reliquis enuntiati verbis per adiectivum *cupido atque insperanti* declaratur, id pronomen *ipsa* in hac extrema parte enuntiati, quia maiore vi orditur membrum, declarat. Quod autem Tibulli locum lib. III. eleg. 6. v. 53 sqq.

*quam vellem tecum longas requiescere noctes*
*et tecum longos pervigilare dies,*
*perfida nec merito nobis inimica merenti,*
*perfido, sed, quamvis perfida, cara tamen!*

ad hunc Catulli locum adhibuerunt, ut et hunc tuerentur et illum, id summa iniuria factum est. Nam quamvis in falsa interpunctione similes inter se loci esse videantur eo, quod illic *insperanti nobis* coniungi videtur, hic autem *nobis merenti*, tamen facile intellegitur ne hoc quidem loco quicquam neque ad Catulli locum defendendum neque ad normam artis constituendam effici posse, quom etiam non quaerenti hoc luce clarius esse videatur, interpunctione falsissima illa abiecta hunc Tibulli locum ita restituendum esse:

*quam vellem tecum longas requiescere noctes*
*et tecum longos pervigilare dies,*
*perfida nec merito nobis, inimica merenti,*
*perfida, sed, quamvis perfida, cara tamen!*

Sic enim *nobis* ad aliud membrum pertinet, si dicitur: *perfida nec merito nobis*, ad aliud *merenti*, neque vox *merenti* magis pronomine *mihi* opus habet, quam in simili Catulli loco verba: *restituis cupido atque insperanti*, pronomine *nobis*, quoniam facile per sese intellegitur quo ista verba pertineant. Ex omni autem hac disputatione facile illud agnoscetur, recte interpuncta oratione, id quod Tu, Vir prudentissime, minime ignoras, non solum singulos

saepe locos iuvari, verum haud raro etiam hoc caveri, ne monstra praeceptorum grammaticorum nascantur.

Sed converto me iam, Vir illustris, ad alterum genus emendationis, quod in ipsa verborum scriptione positum fuisse dixi. Eius rei exempla haec potissimum tum adhibenda putavi. Primum commemoravi carmen Catulli IIII., ubi in loco a nobis iam supra ex parte tractato in illis exemplis, quae auctore M. Hauptio litterarum formis descripta esse feruntur, v. 15 sqq. haec leguntur:

*tuo stetisse dicit in cacumine,*
*tuo imbuisse palmulas in aequore,*
*et inde tot per inpotentia freta*
*erum tulisse, laeva sive dextera*
*vagaret aura, sive utrumque Iuppiter*
*simul secundus incidisset in pedem;*
*neque ulla vota litoralibus deis*
*sibi esse facta, cum veniret a mari*
*novissime hunc ad usque limpidum lacum,*

quibus in verbis duo menda insunt, quorum alterum nuper illatum est, alterum antiquitus propagatum. Versu enim 20. *vagaret* a M. Hauptio e C. Lachmanni opinor coniectura repositum est pro eo, quod librorum testimonio confirmatur, *vocaret*. Id mihi dupliciter falsum esse visum est, primum quod Catullus sic numquam locutus est, ut *vagare* pro *vagari* diceret, quamquam alii scriptores, vetustiores maxime, saepe activam formam usurpaverunt, qua de re conf. Lexicon Latinum meum vol. II. p. 1744, tum quia navigari non posset, si aura vagaret, id est, modo huc modo illuc se verteret. Vago enim vento, id est, incerto nemo navigat. Immo id, quod olim legebatur et est in libris, *vocaret*, aptissimum ad illum locum est. Ventus vel aura vocat usitatissima formula nautarum fuit, si quando significari voluerunt ita comparatam esse auram, ut ea commode navigari posset: dextera autem aura aut laeva vocare dicitur, si a dextero latere aut a laevo ita est ventus, ut velis vel hoc vel altero pede attractis navigari recte possit, cui deinceps secundus Iuppiter, qui in utrumque veli pedem inciderit, opponitur. De *vocandi* verbo vix est quod similitudines apponam, veluti Vergilii Aen. lib. III. v. 356 sq.

*Iamque dies alterque dies processit, et aurae*
*vela vocant tumidoque inflatur carbasus austro.*

cl. ib. v. 69 sq.

*Inde, ubi prima fides pelago, placataque venti*
*dant maria et lenis crepitans vocat auster in altum,*
*deducunt socii navis et litora conplent.*

Alterum, qnod dixi mendum esse in hoc loco, est v. 24 sq.

*cum veniret a mari*
*novissime hunc ad usque limpidum lacum.*

in verbo *novissime.* Neque enim novissime videtur phaselus in lacum Benacum venisse a mari: aperte hoc repugnare videtur eis versibus, qui deinceps leguntur:

*sed haec prius fuere: nunc recondita*
*senet quiete seque dedicat tibi,*
*gemelle Castor et gemelle Castoris.*

neque vero simpliciter dici poterat: *cum veniret a mari — hunc ad usque limpidum lacum.* Nam si simpliciter *a mari venire* dicitur phaselns, mare Adriaticum intellegi necesse est, a quo tamen, si quis Pado atque Mincio veniret in lacum Benacum, tantum iter non erat, ut dicendum esset *a mari hunc ad usque limpidum lacum.* Alia longe ratio huius loci est, si reponimus id, quod in vetustioribns exemplis litterarum formis descriptis habetur, *novissimo*, et scribimus:

*cum veniret a mari*
*novissimo hunc ad usque limpidum lacum.*

Recepto enim hoc verbo iusta oppositionis ratio nascitur inter mare novissimum, id est, ultimum vel extremum, et inter lacum Benacum, qui in patria terra poetae Veronensis est. Sic superlativum adiectivi *novus* iam ante Catnllum dici coeptum esse testem habemus M. Varronem, qni de lingua Lat. lib. VI. §. 59. habet haec: *a quo etiam extremum novissimum quoque dici coeptum volgo, quod mea memoria ut Aelius sic senes aliquot nimium novum verbum quod esset vitabant, quoius origine ut a vetere vetustius et veterrimum, sic ab novo declinatum novius et novissimum, quod extremum.* Eodem modo, quo hic Catullus Pontum Euxinum mare novissimum, id

est, ultimum vel extremum dixit, etiam Ovidius aliique locuti sunt. Conf. Ovidii trist. lib. III. carm. 13. v. 27 sq.

*dum me terrarum pars paene novissima Pontus*
*Euxinus falso nomine dictus habet.*

et Valerinm Flaccum Argonaut. lib. V. v. 77 sqq.

*illum, post acies rubrique novissima claustra*
*aequoris, hic resides thiasos, hic aera moventem*
*udaque pampinea nectentem cornua vitta,*
*nunc etiam meministis, aquae, Boeotia qualem*
*Thyias et infelix cuperet vidisse Cithaeron.*

Huc addas Taciti Agric. c. 10. *haec ora novissimi maris.* et eumdem ab excessu divi Augusti lib. II. c. 24. *vasto ac profundo, ut credatur novissimum, ac sine terris mari.* Similiterque translata quidem significatione adiectivi dixit ipse Catullus carm. LX. v. 4 sq.

*ut supplicis vocem in novissimo casu*
*contemptam haberes ah nimis fero corde?*

Deinde in carm. IX. v. 3 sq. recedendum mihi visum est a scriptura hac:

*venistine domum ad tuos penates*
*fratresque unanimos senemque matrem?*

quae nunc fere recepta est de Froehlichii opinor coniectura, quae longius a librorum scriptura recedit, quam illa coniectura, quam proposuerat Faernus. Quom enim in libris scriptum sit *suamque* aut *sanamque* aut *tuamque matrem*, mihi quidem, quod *s* propter antecedens *unanimos* facile etiam ad verbum, quod sequitur, adsumi poterat, potius *anumque matrem* quam *senemque matrem* scribendum fuisse videtur. Hanc igitur Faerni coniecturam primum librorum auctoritas suadet ut recipiamus et, si usum spectamus dicendique consuetudinem, non minus recte *anus* quam *senex* cum nominibus substantivis componitur, conf. Curtii lib. III. c. 11. §. 25. *at in gremio anus aviae iacebant adultae duae virgines.* et Suetonii Ner. c. 11. *anusque matronas recepit ad lusum.* Catullus autem etiam alias hac ratione usus est: carm. enim LXVIII. v. 46. dixit *chartam anum* et carm. LXXVII. v. 10. *famam anum*, ut etiam inde commendationis aliquid Faerni coniectura accipiat. Levior etiam scripturae mutatio est, sed tamen eiusmodi, ut ad

totum carmen rectius intellegendum id multum valere videatur, in Catulli carm. XXVI., quod sic mihi legendum videtur:

*Furi, vilula vostra non ad austri*
*flatus opposita est neque ad favoni*
*nec saevi boreae aut apheliotae,*
*verum ad milia quindecim et ducentos.*
*o ventum horribilem atque pestilentem!*

Ac primum quidem quod restitui *vostra* pro *nostra*, quod volgo legitur in exemplis litterarum formis descriptis, ea paene nulla mutatio est: nemo enim ignorat in libris manu scriptis *uostra* et *nostra* vix posse inter se dignosci et vetustiora quidem Catulli exempla formis descripta sane habent etiam *vostra*. Si sententiam spectamus, discrimen inter illas scripturas summum intercedit, ita tamen, ut scripturam nunc volgo receptam vix ferendam, hanc nobis probatam unice veram esse fateri debeamus. Neque enim probabile est, si ea, quae de Catulli rebus domesticis aut ab aliis tradita nobis sunt aut hic illic a poeta ipso aperiuntur, recte iudicamus, villam Catulli ad tot milia oppositam fuisse, neque, si fuisset, consentaneum est ipsum poetam id pronuntiaturum fuisse. Alia longe causa est, si ita iocatur, ut carm. XIII. v. 7 sq. facit:

*nam tui Catulli*
*plenus sacculus est aranearum.*

Id enim ille perspicue temporis causa dicit, non ut inopem se omnino esse significari vellet. Catullum autem ad Furium sic scribere potuisse, quemadmodum ego statui *vostra* pro *nostra* reponens, quod is et ipse et tota eius domus summa egestate premi videbatur, satis superque ostendit Catulli carm. XXIII. Nam illud vix est quod dicam, recte post vocativum *Furi* pronomen inferri *vostra*, quod non solum ille ipse, verum etiam eius pater atque tota eius domus intellegitur. *apheliotae* autem paulo post scripsi pro *apeliotae* plurimorum librorum auctoritate. Nam etsi Graeci, quorum scripta ad nos venerunt, eum ventum, quem Latini *subsolanum* vocabant, fere ἀπηλιώτην, non ἀφηλιώτην videntur appellavisse, qua de re videndus est Lobeckius ad Sophoclis Ai. 803. p. 356., tamen quom ille ventus in Latinorum scriptis *apheliotes* plerumque appelletur, Latini non tam cultorum Graecorum linguam quam nautas Graecos, qui mare Adriaticum navigabant, videntur secuti esse.

Itaque etiam apnd Plinium hist. nat. lib. II. c. 47 (46), §. 119. et lib. XVIII. c. 38 (77). §. 337. formam uominis *apheliotén*, quae in libris non nullis habetur, restituendam esse existimo. Carmine XXXIIII. V. 21 sqq. nunc fere legimus haec:

*sis quocumque tibi placet*
*sancta nomine, Romulique,*
*antique ut solita es, bona*
*sospites ope gentem.*

Sed tamen a Catullo haec ita scripta esse non adducor ut credam. Adverbium enim *antique* ab Latinis scriptoribus omnino raro admodum usurpatum est et, si quando positum est, alia significatione est positum, ut nullo pacto existimem a Catullo hic *antique* fuisse scriptum. Multo rectins illi mihi fecisse videntur, qni iam ante me *antiqui* scribi voluerunt pro *antique*. Praeterquam enim quod *antiquei* — sic enim olim in codice archetypo scriptum fuisse multis locis edocemur, ut carm. IIII. v. 23., ubi pro *mari* in antiquis libris scriptum est *maret*, id quod antiquitus nihil aliud nisi *marei* potest fuisse — facile in *antique* mutari potuit, aptissimam etiam sententiam habebimus, si scribemus:

*Romulique*
*antiqui, ut solita es, bona*
*sospites ope gentem.*

Iure enim *antiquus Romulus* dicitur is, qui primus auctor et conditor gentis Romanae esse perhibebatur. Eadem sententia Propertius lib. II. el. 30. v. 28. et rursus lib. V. el. 4. v. 2. *antiqui Iovis* mentionem facit. Denique in carmine XXXXVIII., qnod nunc volgo ita legitur:

*Mellitos oculos tuos, Iuventi,*
*siquis me sinat usque basiare,*
*usque ad milia basiem trecenta,*
*nec umquam videar satur futurus,*
*non si densior aridis aristis,*
*sit nostrae seges osculationis.*

mendum librarii relictum esse censeo. Est id positum in verbo *videar*, quod quamvis recte dicatur *sinat, basiem, sit*, tamen coniunctivum hoc loco non recepisse quo quisque peritior est linguae Latinae eo facilius agnoscet. Neque vero in libris scriptum est *videar*, sed id est e Guarini coniectura profectum.

Ea autem menda, quae loco verbi *videar*, in libris sunt: *inde cor*, *inde tot*, id facile indicant, *videor* olim, non *videar*, in codice archetypo scriptum fuisse, ut indicativus etiam a librorum auctoritate defendatur et tuto iam restitui possit.

Haec et quae sunt similia illo die, quo Tu me in vilula mea inspexeras, Tecum, Vir illustris, agere atque disputare sententia erat. Erat etiam aliud, de quo illo tempore agere volebam, idque ad tertium genus emendationum pertinebat, quod supra dixi in mutata versuum quorumdam collocatione positum fuisse. Ex hoc tertio genere unum nunc iam proponam locum, ut Tu ipse iudicare possis, utrum veram emendandi viam ingressus sim necne. Post carmen Catulli secundum, quod Catullus in passerem suae puellae composuit, leguntur in libris haec:

*tam gratum est mihi quam ferunt puellae*
*pernici aureolum fuisse malum,*
*quod zonam soluit diu ligatam.*

qui quidem versus non solum in libris manu scriptis vetustioribus a superiore carmine prorsus separati fuerunt, id quod Guarinus et Perreius testati sunt, verum etiam, si ipsam sententiam, quae iis subest, spectamus, ab argumento illius, quod praecedit, carminis plane abhorrere videntur. Quamobrem recte fecerunt illi, qui hos tres versus a superiore carmine separaverunt atque pro fragmento novi carminis habuerunt. Eo autem, quod post hos versus iam tertium Catulli carmen sequitur, quod is fecit in obitum passeris suae puellae, facile intellegitur illos tres versus iniuria olim huc vocatos esse, quod carmini secundo et tertio propter similitudinem argumenti olim de industria videtur hic locus adsignatus fuisse, ut inter haec duo carmina tertium collocari minime posset. Hoc carminis fragmentum, quod iam sua sede motum fuisse demonstravimus, quo pertineat si quaerimus, difficilis sane ac lubrica haec quaestio esse videtur, neque criticorum quisquam, quantum ego quidem scio, de ea re quicquam proposuit. Sed tamen in re admodum incerta vestigium mihi deprehendisse videor satis certum, quod persequi possimus, ut etiam huic fragmento suum locum restituamus suumque honorem habeamus. Leguntur enim post carmen Catulli XIIII. in libris haec:

*Si qui forte mearum ineptiarum*
*lectores eritis manusque vestras*
*non horrebitis admovere nobis,*

quae verba tanto opere ab eo, quod praecedit, carmine, quod per se constat, discrepant, neque quicquam commune habent cum carmine illo, quod sequitur XV., quod ipsum quoque per se constat, ut recte iam critici omnes hos tres versus ab utroque carmine separavisse videantur. Habemus igitur hic duo fragmenta veteris poetae, quae iam in codice archetypo nescio quo casu alieno loco posita atque ita diversis locis disiecta fuisse videntur, ut difficile explicatu esse videatur, unde hoc evenerit, nisi forte detritam paginam fuisse aut laceratam dicas et, quae suo loco iam cerni recte et legi non posse viderentur, in margine alicubi adscripta fuisse, neque poetae verba omnino perirent. Sed quamquam casu haec fragmenta longiore spatio inter se separata sunt, tamen, si sententiam ipsam animadvertimus, quae iis subest, mihi videtur dubitari non posse quin ita olim coniuncte haec scripta fuerint:

*Si qui forte mearum ineptiarum*
*lectores eritis manusque vestras*
*non horrebitis admovere nobis,*
*tam gratum est mihi quam ferunt puellae*
*pernici aureolum fuisse malum,*
*quod zonam soluit diu ligatam.*

Si enim sic haec verba coniungis, omnia egregie inter se concordant, neque veri dissimile est hoc carmen olim secundum locum habuisse, ut continuo post primum carmen, quod est ad Cornelium Nepotem scriptum, legeretur, eoque ipso carmine poeta benevolentiam lectorum captare voluisse videretur. Hoc igitur carmen secundo loco ponendum mihi videtur, carmen autem, quod nunc est secundum in passerem puellae suae a Catullo compositum, id tertio loco ponendum erit et sic deinceps reliqua carmina numeranda erunt.

Sed sentio, Vir illustris, me longius esse provectum Teque diutius detinuisse, quam par fuit, quom nihil aliud hac ipsa scriptione mihi proposuerim nisi ut Tibi, qui mihi semper amicus verus atque certus fuisti, huius diei felicitatem gratuler, quo post acceptos summos ab ordine iure consultorum honores iam quinquaginta annos explevisti, et nunc, postquam primum in hac

ipsa Academia, in qua olim eruditus eras, doctoris privati munere cum laude perfunctus es, post vero Regiomonti in Borussia professor publicus ordinarius in illa Universitate litterarum maximo cum fructu ius docuisti, deinde Magno duci Saxoniae in negotiis publicis fidus ac sincerus consiliarius fuisti, de patria autem ipsa summis iudicum collegiis praefectus tanto temporis spatio iure dicundo animo neque secundis rebus elato nec adversis abiecto egregie meruisti, integris adhuc animi atque corporis viribus quom rebus domesticis tum publicis ita prospicis, ut nobis, qui Te amamus atque colimus, certa spes sit fore, ut per multos etiam annos iucunda senectute perfruare. Eam spem ut Deus optimus maximus ratam esse velit ardenter cupimus. Tu autem, Vir illustris, vale ac mihi meisque favere perge.